Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2541

Quelle:
Copyright:

ritum sanctum. Credo. &c. Sequuntur *Orationes* variae et *Examina* cum Clericorum, tum Laicorum, quorum pleraque partim in Poenitentiali *Halitgarii Camerac.* partim in aliis a *Job. Morino* ad calcem Operis *de Poenitentia* relatis sparsim leguntur.

III. *fol.* 114. p. 2. alia, sed aeque vetusta manu sequitur Formula *Confessionis*, quae infit: *Confiteor domine pater cęli et terrę coram hoc sancto altario tuo et istius loci reliquiis et coram hoc sacerdote tuo* &c. Additur *Responsum Sacerdotis* hoc initio: *Fili mi. Testis tibi sit christus filius dei uiui* &c. atque in hoc *Responso* Codex abrumpitur.

Ambit illum utrinque Membrana Fragmentum *de Musica* Sec. XII. exaratum complectens, quod quidem in nullo veterum Latinorum, quos bono numero inspexi, deprehendere datum est. Itaque Specimen quoddam inde transferam. *Sistema quid est? In colis uel commatibus diastemata dicimus. Sistemata in particulis perfectioribus. seu toto peryodo. Nam diastema est spatium quotlibet sonorum quo particula complectitur. id est quo acuta et grauior uox includitur.* (Ita quoque definit *Mart. Capella de Nupt. Philolog.* L. 9. edit. *Plantin. Rapheleng.* 1599. p. 321. 8.) *Sistema tocius spatium meli. Item sistemata sunt species tetrachordorum. pentachordorum. octochordorum. quę modis singulis suas dant species.* &c. Scriptorum *de Musica* Latinorum medii aevi Elenchum habes in *Fabricii Bibl.* L. II. ad v. *Berno.*

DCLXX.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. nunc 61. 4. non una manu, commode tamen perscriptus et rubricis distinctus continet: 576

I. Breves Institutiones Vitae Pastoralis pro rudioribus Sacerdotibus, quarum initium: *Uenerabilibus sacerdotibus. N. et N. Ricardus eorum deuotissimus. Viam nostram sepi* (sepiri?) *lapidibus, transitum sub pallio breui et angusto, et expectationem secunde stole cum gaudio. Recolo uos a me postulasse quod breuem uobis doctrinam darem suscepto officio sacerdotali maxime erga subditos in penitentiis iniungendis* &c. Ordo in tractatione promittitur sequens: *Primo scilicet qualiter homo nascitur. Secundo qualiter peccat. Tertio que sint genera peccatorum mortalium in que cadit. Quarto qualiter ab his resurgat. Quinto qualiter sit iniungenda penitentia. Sexto qui sunt articuli fidei quos quilibet credere tenetur. Septimo quibus operibus insistendum. Octauo cum qua cautela sacerdotes populum sibi commissum regere debeant. Nono in quo statu sint animę defunctorum usque ad diem iudicij. X°. de generali resurrectione.* Opportuna sunt omnia, quae per decursum traduntur; illud tamen singulare, quod legitur *fol.* 4. p. 1. *Sciant itaque domini sacerdotes quod ipsi peccata non dimittunt, sed ostendunt*